seu *Justitia seculorum*, de praemio boni & mali, de mundo corruptibili, animarum, de Paradiso & inferno, de resurrectione defunctorum atque extremo judicio, teste ipso Nostro l. c. verba facit. In libro מחזה שדי seu *visionibus omnipotentis*, de prophetia agit. Periit hic liber, ejusque loco *Lahakath Neviim* confecit. vid. editor *fontium salutis* add. Noster in *Maine hajeschuah* f. 18. col. 4. in med. In libro שמים חדשים seu *novorum coelorum*, de innovatione mundi cum explicatione Part. II. 19. More Nev. agit, teste ipso Nostro *Schalschhakkab.* p. 64. Deprehenditur *Compendium commentarii Abarbanelis super Pirke avct*, *item super historiam agni paschalis*, inquit *Buxtorf.* l. c. pag. 406. *authore Jaacob bar Eliakim Heilpron. Lublini in Polonia* A. C. MDCIV. cont. *Bartoloccius* l. c. p. 837. & 883. Idem *Buxtorf.* pag. 295. non modo inter optimos scripturae interpretes Nostrum refert, sed etiam haec addit: *Intellexi nuper integrum Abarbinelem, in Turcia duobus magnis voluminibus excusum, nactum esse amicum meum, Gualterum Keuchenium, Rectorem scholae Hanovianae. Quod si verum, est quod sibi gratuletur. Nam liber est summe commendatus.* Doleo interim, eò felicitatis nunquam me perveniisse, modo laudatum à *Buxtorfio* volumen inspicere ut potuerim. Meminit etiam Noster in *Maine hajeschuah* Fonte. 2. Palma 2. differt. contra *Maimonidem* de curru Ezechielis. Denique responsio ad XII Qq. philosophicas, a R. Saule Germano sacerdote, (הכהן אשכנז) Nostro propositas, inter MSSta Bibliothecae Lugdunensis, & quidem in legato Warneriano exstare dicitur. Vid. *Bartoloccius* l. c. p. 883.

§. XI.

Paucis nunc ea quae sparsim hinc inde ex Nostro in latinum fermonem transtulerunt nonnulli, & quae nostram in notitiam parvenerunt, perlustrabimus. *Dissertationes quasdam Philosophicas* ut plurimum, in commentario in Pentateuchum occur-

 rentes